

A *Quis est sicut Dominus Deus noster?* [Expende h̄ic quantum referat, quem ex corde amemus. Amoris OBSE R.
ingenium est, vt eum quē vnicē amamus, cunctis alijs præferamus, & dicamus: Quis est sicut dilec-
tus meus? Si nile illi non habet Orbis. Sic sentit amor etiam de eo, qui multis nominibus infe-
rior est multis. Est enim in rebus humanis cæcum amoris iudicium. Verū qui Dominum Deum
suum diligunt, licet & illi præ amore quo erga eum sunt accensi, dicant: *Quis sicut Dominus Deus noster?*
in eo tamen non falluntur, sed omnia rectissimē sentiunt. Neque enim quisquam est, nec in cœlo,
nec in terra, qui Domino Deo aliquo pacto ex æquo conferri possit. Non potest amor hic tantum
de Deo, quem diligimus, concipere, sentire, prædicari, quārum ipsa illius habet veritas. Quæ præ-
terea hoc loco cogitari queant, vide suprā Psal. 71. versu 19. & Psal. 86. vers. 8. & Psal. 89. vers. 6. 7. 8.

Qui se attollit ad præsidendum, qui se demittit ad videndum, cūm in cœlo, tūm in terra. [1. Primum illud obser-
uemus, quod regnanti Deo sublimem sedē tribuit. Sublime solium regni maiestatem habet. Sub-
limitas ista non est localiter, sed secundum diuinæ maiestatis excellentiam consideranda. Symbo-
lum habet singularis & eximis potentia, sapientia, clementia & iustitia: quarum admoneatur
quoties de sede Dei in cœlis excelsa ac sublimi mentionem in sacris Scripturis fieri videmus.

2. Deinde considerandum est, quomodo diuinæ maiestatis excellentia prouidentiam rerum
tam terrestrium, quam celestium coniungat. Caro cūm audit Deum sedem habere in cœlis subli-
mem & excelsam, iudicat eum sic esse magnum, gloriosum, & super omnia eleuatū, ut res humanas
prosorsus negligat ac despiciat, nec videat quæ h̄ic in terris geruntur, qua de re videre est suprā Psal.
94. vers. 7. Recte ergo Spiritus sanctus utramq; h̄ic coniunxit, & soli gloriae Dei sublimitatem, &
prudentiam res humanas curantis ac disponentis demissionem. Et obserua, quod nō solū dicit,
In terra: sed, Et in cœlo. Ergo & cœlestia longè sunt infra diuinæ maiestatis excellentiam.

Qui erigit de pulueribus mope. [Hac de re quædā obiter annotauimus & suprā Psalmō 107. in ver-
su 41. vbi idem canitur. Quod hunc locum concernit, illud obserua, quod Spiritus sanctus tam dili-
genter hoc inculeat de Deo, quod quāmuis sublimis in cœlo sedeat ac regnet, nihilo tamen minus
humilium egenorum & abiectorum in hac terra. vsq; adeo rationem habeat, ut eos ē pulueribus ad
regni vsq; maiestatem uehat. Poterat longè illustriora de prudentia Dei canere: verū ista pla-
cuerunt, ut admoneamur, non solū curare Deum res humanas, sed & eorum habere rationem,
quorum Mundus p̄ fastidio & contemptu ne nomina quidem scire dignatur. Hoc exemplo ad-
moniti, discimus delectari humilibus & abiectis: ne si sublimia expetiuerimus, vñā cum illis ali-
quando deturbemur diuinitus.

Qui habitare facit sterilem in domo. [Hac de re dictum est suprā Psal. 68. versu 6. Exempla præcessere. OBSE R.
runt in Sarah, & Hanna matre Samuelis. Nos, quorum ista ad veteris populi benedictionem perti-
nent, inspiciamus in typo illorum Ecclesiæ fœcunditatem, quæ olim sterilis, per Christum sponsum
suum admodum facta est fœcunda: quod pertinet locus prophetæ Esaiæ cap. 54: *Lauda sterilis, quæ*
non parit. &c. quem & Apostolus ad Galatas 4. de Ecclesia electorum ac credentium citat. Illam
Deus innumerorū filiorum matrem constituit, de quibus olim dictura est: *Quis genuit mihi istos?*
Ego sterilis & non pariens, transmigratione abducta & captiua, & istos quis enutriuit? Ego desti-
tuta & sola, & isti vbi erant? Esaiæ 49.

PSALMVS CXIII.

ARGUMENTVM PSALMI.

P salmus hic breuiter memoriam singularium quorundam miraculorum refricat, quibus potentiam
suam Deus declarauit, cūm Israēlem ex Aegypto liberasset, & eduxisset.



- 1. *Megredetur Israël ex Aegypto: domus Jacob de populo barbaro.* VERS. L
- 2. *Pertinebat Iehudah ad sanctitatem eius, Israël ad dominium eius.*
- 3. *Mare vedit ac fugit, Iordanis aversus est retrorsum.*
- 4. *Montes subtilierunt instar arietum, colles velut agni ouium.*
- 5. *Quiderat tibi mare, quod fugiebas? Iordanis, quod retrò cedebas?*
- 6. *Montes, quod subtiliebatis instar arietum? colles, velut agni ouium?*
- 7. *A facie Domini contremiscebat terra, à facie Dei Jacob.*
- 8. *Qui conuertit petram in stagnum aquarum, rupem in fontem aquarum.*

Pertinebat Iehudah ad sanctitatem eius. [Ebraicē sic: יְהוּדָה בְּרוּחַ: id est, Erat Iehudah ad sanctita-
tem eius, Græc. & vulg. Lat. sic: Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israël potestas eius. Hieron. Factus est Iudas
in sanctificatione eius. Iustin. Fuit Iudah in sanctificatione eius. Chald. Fuit Ecclesia domus Iudea unita sanctis.
Felix: Factus est Iudas in sanctitatem eius, Israël potestates eius. Pagn. Fuit Iehudah sanctificatio eius. Campensis:
Tum fiebat Iuda particeps sanctimonie Dei. Reliqua satis concordant.

Cum egredetur Israël ex Aegypto. [Planè dignum erat, ut memoria liberationis ex Aegypto lugis EXPLA-
asset ac perpetua in animis Israëlitarum. Hanc ob causam Vates carmen hoc de exitu Israëlis ex NATIO.
Aegypto, & miraculis aliquot, quæ post illum in mari, Iordanē, in monte Sina, & in petra deserti,
edita sunt diuinitus, quasi poëtico more composuit, & Israëli decantandum præscripsit. Cūn Israël,
inquit, egredetur ex Aegypto, & domus Jacob de populo barbaro. Non solū egressionis, sed & serui-
tutis Egyptiacæ memoriam refricat hoc primo versu: admonetque ut cogitent Israëlitæ, quanto
patres

Ver. 5. & 6.
Ingenium a-
moris.

Sublime so-
lium Dei.

Excellentiae
Dei generalis
prudentia
conuenientia.

OBSE R.
Vers. 7. & 8.
Humiliū ra-
tionem habet
Deus.

OBSE R.
Vers. 7.
Typus Ec-
clesiae Chri-
sti.

LECTIO
Vers. 2.